
BVLLA S. D. N. CLEMENTIS PAPÆ VIII.

no. 4

Pro facultatibus Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Cardinalis Placentini, Legati de Latere ad Regnum Franciæ.



PARISIIS,
Apud Robertum NIVELLE, via Iacobæa.
ET
Apud Rolinum THIERRY, via Iacobæa, sub signo Lilij albi.
M. D. XCII.
CVM PRIVILEGIO.



BVLLA
S. D. N. CLEMENTIS PAPÆ VIII.

Pro Facultatibus Illustrissimi ac Reuerendissimi Domini Cardinalis Placentini, Legati de Latere ad Regnum Franciæ.



LEMENS *Episcopus, Seruus seruorum Dei, dilecto filio Philippo tituli sancti Honuphrij Presbytero Cardinali Placentino nuncupato, in Regno Frãciæ nostro, & Apostolicæ Sedis de Latere Legato, Salutem & Apostolicã benedictionem.*

Decet Romanum Pontificem Apostolicæ Sedis Legatos, eos præsertim, qui ad præcipua Christianæ Reipublicæ Regna, eorúmq; Prouincias, è latere destinãtur, priuilegiis Apostolicis, quãtum locorum & temporum ratio requirit, cumulatè prosequi: vt ipsi illis suffulti poßint, in functione muneris sui, benignitatem eiusdem Sedis erga eius fideles & deuotos, cum venerit

vsus, liberaliter impartire. Proinde cum Te hodie in Regno Franciæ, illiúsque Prouinciis, Dominiis, Ducatibus, Ciuitatibus, & locis eidem Regno subiectis, & cæteris aliis, ad quæ Te, occasione Legationis huiusmodi, declinare contigerit, ex certis rationabilibus causis animum nostrum mouentibus, ac pro tractandis grauissimis negotiis, ad ipsius Regni pacem, concordiam, & trãquillitatem, ac præsertim in eo Catholicæ Religionis conseruationem pertinentibus, Nostrum & Sedis Apostolicæ de latere Legatum, de venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, auctoritate Apostolica duxerimus constituendum, prout in nostris inde confectis Literis plenius continetur: Nos quoq;, vt Regni personarũ, & locorũ eorundem saluti, & statui, operâ tuâ consulatur, hoc Legationis tuæ munus specialibus facultatibus prosequendum censuimus: vt illis, iuxta datam tibi à Domino prudentiam, vtaris moderatè, ac prudenter, ad Dei gloriam, populorum solatium, & edificationem, ipsiúsque Sedis dignitatem, prout in Domino videris expedire.

Quare, vt commisso tibi Legationis huiusmodi officio efficacius intendere, & erga personas benemeritas, tibíque gratas, & acceptas, & huic Sãctæ Sedi deuotas, Te vtilem, gratiosum, & benignum reddere poßis, Circumspectioni

tuæ, per Te, vel alium seu alios viros probos, & idoneos, quascunque Ecclesias, etiam Primatiales, Metropolitanas, & alias Cathedrales, ac Collegiatas, & Parrochiales, necnon Monasteria, tam virorũ quam mulierũ, Prioratus, Præposituras, & loca secularia; ac etiam sancti Benedicti, Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontiseubrandi, ac quorumuis aliorum Ordinum, etiam Mendicantium, necnon Institutorum, & Congregationum quarumcunque Regularium, necnon Hospitalia, etiam exempta, dictæque Sedi immediatè subiecta, vel quocunque alio priuilegio suffulta, eorúmque Capitula, Conuentus, Vniuersitates, Collegia, & personas, tam seculares, quam regulares, etiam vt præfertur exemptas, & subiectas, quoties tibi videbitur, Apostolica auctoritate, iuxta sacros Canones, & Decreta sacri generalis Concilij Tridentini, visitandi, corrigendi, &, tam in capite, quàm in membris, reformandi: ac illas, & illa in eorum pristinum statum, formam, regulas, & instituta, vitam, ac disciplinam, & obseruantiam regularem, restituendi, ac redigendi, atque aliàs prouidendi & statuendi.

Necnon, prout occasio, rerúmque qualitas exegerit, Constitutiones, Consuetudines, ac mores, & alia quæcunque, quæ mutatione, corre-

ctione, emẽdatione, reuocatione, & renouatione, vel etiam ex integro editione, indigere cognoueris, mutãdi, corrigendi, emendandi, reuocandi, ac etiam renouandi, atque etiam de nouo edendi: vel etiam iam edita promulgandi, & confirmandi, & debitæ executioni mandari faciendi: dummodo iisdem sacris Canonibus, & Concilij Tridentini Decretis non aduersentur.

Abusus quoscunque, & prauos mores, & Consuetudines tollendi, & abrogandi, ac in personas tam seculares, quàm regulares, etiam Mẽdicantes, & quomodolibet exemptas, & priuilegiatas, malè viuentes, seu relaxatas, atque ab earũ institutis deuiantes, seu aliàs quomodolibet delinquentes, diligenter inquirendi, corrigendi, emendandi, coercendi, & puniendi, vel ad debitum, & honestum vitæ modum reuocandi, prout iustitia suaserit, & ordo dictauerit rationis, & quicquid inde statueris, & ordinaueris perpetuò obseruari faciendi.

Contra inobedientes, falsarios, vsurarios, raptores, incendiarios, ac alios criminosos, & delinquentes quoscunque, etiam exemptos, eorũq; fautores, & receptatores, cuiuscunque dignitatis, ordinis, & conditionis fuerint, per viam accusationis, vel denunciationis, etiam ex officio, ac etiam summariè, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura iudicij, similiter in-

quirendi, & procedendi, reósque, prout canonicæ requirunt sanctiones, & aliàs tibi videbitur expedire, puniendi.

Insuper prædictorũ criminum, & alias quascunque criminales, ciuiles, matrimoniales, & beneficiales, meras & mixtas, Ecclesiasticas & profanas, seu aliàs ad forũ Ecclesiasticũ quomodolibet pertinentes causas, præterquã in prima instantia, nisi per appellationem ab irreparabilẽ grauamine, vel sententia vim diffinitiuæ habẽte, tam per viam recursus, vel simplicis querelæ, quàm etiam quarumcunque appellationũ, à quibuscumque Iudicibus ordinariis, & etiam à Sede pradicta delegatis, interpositarum, & dicta durante Legatione interponendarum vigore, ac aliàs quomodolibet pro tempore deuolutas, & deuoluendas, motas & mouendas, cum omnibus earũ incidentibus, depẽdentibus, emergentibus, annexis & connexis, etiam summariè, simpliciter, etiam de plano, ac sine strepitu & figura iuditij, sola facti veritate inspecta, terminísque substantialibus, etiam vnico contextu seruatis, vel illorum loco, præfixo termino arbitrio tuo; audiendi, cognoscendi, & fine debito, prout iuris fuerit, terminandi.

Et ad hunc, cæterorúmque contingentium effectum, quoscunque, etiam per edictum publicum, constito priùs, etiam summariè, & ex-

traiudicialiter, de non tuto ad illos accessu, citandi & monendi, eisque, ac etiam quibusuis Iudicibus, cæterisque personis, quibus & quoties opus fuerit, etiam per simile edictum, ac etiã sub censuris Ecclesiasticis, & aliis tuo vel delegatorum tuorum arbitrio infligendis, imponendis, moderandis, & applicandis penis, inhibendi, & cõtra eos & alios, prout opus fuerit, procedendi & exequendi: ac contra eosdem & alios inobedientes, contumaces, & rebelles quoscunque, censuras & pœnas prædictas, etiam iteratis vicibus, aggrauandi, interdictum Ecclesiasticum apponendi, & relaxandi, auxiliumque brachij secularis inuocandi: Seu causas ipsas alij, vel aliis idoneis personis in dignitate Ecclesiastica constitutis, modo & forma præmissis, ac cũ simili, vel limitata potestate, præterquã in eadem prima instantia, vt supra, pariter audiendas, & vt præfertur terminandas committendi, & delegandi: Quascunque personas aduersus sententias, res iudicatas, & contractus quoscunque in integrum, prout iuris fuerit restituendi: Iuramenta quæcumque, ad effectum agendi duntaxat, ex causa relaxandi: Quoscunque à quibusuis censuris, & pœnis, simpliciter, vel ad cautelam, si, & postquàm congruè, prout debent, tam partibus, quàm Iudicibus satisfecerint, ac prout iuris fuerit, absoluendi.

Præterea

Præterea quoſcunque ad Te recurrentes, qui homicidium etiam voluntarium, ſacrilegium, ſymoniam, & periurij reatum, quomodocũque commiſerint: qui bellis interfuerint: qui manus violentas in Clericos & Presbyteros, nõ tamen Epiſcopos, vel ſuperiores Prælatos, nec in fauorem hæreſis, aut hæreticorum, iniecerint: necnõ qui, ratione beneficiorum Eccleſiaſticorum, per eos obtentorum, horas canonicas non recitauerint: vel qui infra tempus à iure ſtatutum, vel in fundatione, aut aliàs requiſitum, ſe ad ſacros Ordines promoueri non fecerint: & qui ante legitimam ætatem ad ſacros Ordines, ſine diſpẽſatione Apoſtolica, vel ſine dimiſſoriis ſui Ordinarij, aut extra tempora à iure ſtatuta, aut per ſaltum, aut aliàs ex quauis cauſa, malè promoueri ſe fecerint: quíque beneficia Eccleſiaſtica incompatibilia, etiam contra Conſtitutionem fe: re: Ioannis PP. 22. prædeceſſoris noſtri, quæ incipit, Execrabilis, *aut aliàs indebitè detinuerint, etiam ſi ipſi, ac etiam alij quicunque, ex aliis quibuſcunque cauſis, fructus Eccleſiaſticos indebitè quomodocunque perceperint.*

Et præterea eos, qui adulterium, inceſtũ, fornicationem, & aliud quodcunque peccatum carnis perpetrauerint, necnon Literarum, & Supplicationum Apoſtolicarum falſarios, vſurarios, raptores, incendiarios, & aliorum quo-

rumcunque criminum ad forum Ecclesiasticũ pertinentium reos, tam Clericos quàm Laicos, si hoc à Te humiliter petierint; homicidas voluntarios videlicet, ac in susceptis Ordinibus Simoniacos clericos, eis ab altaris ministerio perpetuo; ante ætatem verò legitimam promotos, tandiu ab executione suorum ordinum, quãto ante ætatem promoti fuerunt, & ampliùs, arbitrio tuo, suspensis; alios verò simoniæ labe, occasione beneficiorum infectos, beneficiis ipsis prius realiter & cũ effectu dimissis; & qui beneficia contra dictam Constitutionem Execrabilis, aut aliàs indebitè detinuerint, illis pariter dimissis, necnon qui fructus Ecclesiasticos indebitè perceperint, illis, pro facultate impetrantium, arbitrio tuo, Ecclesiis & locis vnde profecti sunt, restitutis, vel in pauperes erogatis, vel etiam ipsis impetrantibus, in toto vel in parte, remissis; vsurarios verò, facta primũ debita vsurarum restitutione; falsarios autem, incendiarios, & raptores, facta condigna satisfactione, aliósque iniunctis pœnitentiis salutaribus, aliísque iniungendis, in vtroque foro absoluendi.

Necnon cum omnibus & singulis prædictis, super irregularitate per eos, præmissorum occasione, vel aliàs quomodolibet, præterquam ex causa homicidij voluntarij, Simoniæ realis, Bi-

gamiæ, & defectus natalium contracta, siue ex eo quòd huiusmodi sentētiis, censuris, & pœnis ligati, diuinis, non tamen in contemptum clauiū, se immiscuerint: quódque ea non obstante, nisi aliud canonicum impedimentum obsistat, promoueri possint ad reliquos sacros, etiā Presbyteratus ordines, seruata forma Concilij Tridentini, & in illis promoti, in altaris ministerio ministrare, ac quæcunque alia beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura obtinere, & retinere, dummodo plura nō sint, quam quæ iuxta Concilij Tridentini Decreta permittuntur, dispensandi; inhabilitatis, & infamiæ maculā, siue notam contra eos insurgentem abolendi, & eos in pristinum, ac eum in quo antea erāt statum, restituendi: sed & apostatas ab ordine, seu religione, postquam ad ouile redierint, vel, si necessitas aut vtilitas postulauerit, ad alios ordines pares, vel strictiores transierint, etiam in vtroque forò similiter absoluendi, & cum illis, super irregularitate per eos propterea contracta dispensandi.

Necnon quoscunque alios vtriusque sexus, tam seculares, quàm cuiusuis Ordinis regulares, in omnibus & quibuscunque aliis casibus, tam Ordinariis locorum, quam dictæ Sedi quomodolibet reseruatis, etiam cōtentis in Literis die Cœnæ Domini legi consuetis, ab excommuni-

cationis, aliísque sententiis, censuris Ecclesiasticis, quas propterea quomodolibet incurrerint præterquam tamen in casu hæresis, & schismatis, & iniectionis manuum violētarum in personas Episcoporum, & superiorum Prælatorū, salutaribus pœnitentiis iniunctis, ac aliis iniungendis, in vtroque foro per Te, vel alium, seu alios à Te deputandos, similiter absoluendi.

Insuper vt quibusuis in ætate legitima constitutis, & aliàs idoneis Clericis, qui competenter beneficiati, & adeò arctati fuerint, ratione beneficiorum per eos obtentorum, vt si tempora à iure statuta expectarent, beneficia ipsa, propter eorum non promotionem, vacarent; vt ad titulum beneficij huiusmodi, vel etiam, vbi Ecclesiarum & locorum necessitas, & vtilitas postulauerit, iuxta prædicti Cōcilij Tridentini Decretum, vt ad titulum patrimonij, etiam ad sacros, & Presbyteratus ordines, à suo Episcopo in vnitate fidei, & Apostolicæ Sedis obedientia, perseuerante, vel cum eiusdem dimissoriis Literis à quocunque alio maluerit Catholico Antistite gratiam & commmunionem Sedis Apostolicæ habente, extra Romanam Curiam, & in propria diocesi residente, etiam quo ad sacros ordines, quibusuis tribus Dominicis, vel tribus festis de præcepto diebus, extra tempora à iure statuta, promoueri, & in illis sic

promoti etiam in altaris ministerio, ministrare poßint, licentiam & facultatem tribuendi & concedendi.

Vlteriùs, quasuis personas, quæ inuicem in secundo & tertio mixto, vel tertio, vel quarto, simplici, vel in tertio & quarto mixto consanguinitatis, vel affinitatis gradibus, coniunctæ sunt, & sese attinentes, Matrimonium de facto, scienter, vel ignoranter, de præterito, siue hactenus contraxerunt, ac etiam copula carnali subsequuta consumarunt, ab incestus reatu, & excommunicationis, aliisque Ecclesiasticis censuris, & pœnis propterea incursis, iniunctis tamen pœnis salutaribus, in vtroque foro absoluendi, atque cum illis, vt impedimento tertij vel quarti simplicis, aut tertij & quarti mixti consanguinitatis, aut affinitatis graduum huiusmodi non obstante, in iam contracto matrimonio remanere, vel illud de nouo contrahere, ac in facie Ecclesiæ de nouo solemnizare, iuxta decretum memorati Concilij Tridentini, liberè & licitè valeant; dummodo tamen mulieres propter hoc raptæ non sint, & gratis, & absque vlla omnino mercede, aut munere etiam sponte oblato, prolem exinde susceptam & suscipiendam legitimam decernendo, dispensandi: sed & cum aliis personis, quæ in quarto simplici, vel mixto gradu inuicem coniunctæ

sunt, & Matrimonium inuicem contrahere cupiunt in futurum; siue quia vir, vel alius aliter non obligatus mulierem nullam dotem habentem dotare, aut vir ipse eam cum dote minus competenti ducere voluerit; seu si locus angustus, & contrahere volentes, aut Nobiles, aut in illis principales fuerint; seu quia ipsi, in Ciuitatibus, seu oppidis insignibus, primarij, paris conditionis personas inuenire nequiuerint: vel vbi mulier in propria Terra, Castro, vel loco, virum sibi non attinentem, cui honestè nubere poßit minimè inuenerit, & si extra nubere cogeretur, dotem ad id in bonis stabilibus competentem non habuerit, ac etiam pro se dandis inimicitiis vtriusque parentum, fratrum, cognatorum, vel affinium, ante contractũ Matrimonium ex alia causa intercedentibus, & pace ineunda, dispensandi.

Et simili modo, super impedimento publicæ honestatis iustitiæ, vbi sponsalia duntaxat, non tamen malitiosè, intercesserint, necnon super cognatione spirituali de contracto tantùm, non tamen inter Leuatum & Leuantem; vt Matrimonium inter se de nouo contrahere, & in facie Ecclesiæ solemnizare, & postquam contractum fuerit, in eo remanere.

Ac pariter cum iis, qui per fornicationem, aut adulterium se polluerint, dummodo in mor-

tem defuncti coniugis quicquam eorum neuter machinatus fuerit, etiam si tales illud carnali copula consumauerint, prolémque exinde susceperint, ipsos similiter ab incestus reatu, & excõmunicationis, aliisque censuris Ecclesiasticis propterea incursis, in forma Ecclesiæ cõsueta, iniuncta inde eis pro modo culpæ pœnitentia salutari, & aliis quæ de iure fuerint iniungẽda, absoluendi; vtque etiam Matrimonium de nouo inter se contrahere, & vt præfertur solemnizare, ac pariter in eo remanere, liberè & licitè valeant, similiter dispensandi, prolémque exinde susceptam & suscipiendam, legitimam decernendi, ac nuntiandi.

Ad hæc, quæcumque beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia, necnon Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grãdimontensis, Fontiseubrandi, & quorumcũque aliorum Ordinum regularia, intra limites tuæ Legationis tantùm consistentia, etiamsi sæcularia, dignitates, Canonicatus, & Præbendæ, Personatus, Administrationes, vel Officia in Cathedralibus, etiã Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, & dummodo dignitates ipsæ in Cathedralibus, etiam Metropolitanis, post Pontificales maiores, vel in Collegiatis huiusmodi, principales non sint, aut Parrochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ: Regularia verò

beneficia huiusmodi, Prioratus, etiam Conuentuales & Electiui, Præposituræ, Præpositatus, Dignitates, Personatus, Administrationes, & Officia etiam curata, & electiua, aut de iure patronatus laicorum, dummodo ipsorum ad hoc accedat assensus, & aliàs qualitercunque qualificata, ac etiam dispositioni Apostolicæ specialiter, vel generaliter reseruata, vel affecta, dummodo illorum singulorum fructus, redditus & prouentus, vigintiquatuor ducatorum auri de Camera, verum valorem annuum non excedere tibi legitimè constet, per obitum, aut aliàs quomodolibet (nō tamen per resignationē) & ex quorumcunque personis, extra dictam Curiam, intra limites dictæ Legationis, siue Prouinciæ, & locorum eiusdem, antequàm egressus fueris tantùm, vacantia: dummodo illa, quæ per obitum vacauerint, ratione familiaritatis, etiā continuæ commensalitatis nostræ, seu alicuius Cardinalis viuentis, prædictæ dispositioni reseruata, vel affecta nō fuerint, personis idoneis conferendi, ac de illis etiam prouidendi.

Monasteriis tam virorum, quam mulierum, Ordinum quorumcunque, Legationis prædictæ, quorum tamen fructus, redditus, & prouentus viginti quatuor ducatorum similium valorem annuum, vt præfertur, verè non excedant, nūc & pro tempore vacantibus, de Abbatibus, &

Abbatißis,

Abbatissis, siue aliis Prælatis, prouidendi.

Seu Monasteria, & alia beneficia regularia huiusmodi (non tamen Consistorialia, nec valorem annuum prædictum verè excedentia) commendari solita, vel saltem, commendis de illis antea ad vitam factis tunc cessantibus, vacantia, personis sæcularibus, per eas quoaduixerint, vel ad tempus tenenda, regenda, & gubernãda; ita quòd liceat eis, debitis & consuetis illorum supportatis oneribus, de residuis illorum fructibus, redditibus, & prouentibus disponere, & ordinare, sicuti illa in titulum pro tempore obtinentes, de illis disponere, & ordinare potuerunt, seu etiam debuerunt, alienatione tamen quorumcunque bonorum immobilium, & prætiosorum mobilium Monasteriorum & beneficiorum regularium commendandorum prædictorũ, eis penitus interdicta, commendandi.

Quiscunque concordias licitas & honestas, ad partium supplicationem, approbandi & cõfirmandi; omnes & quoscunque iuris & facti defectus, si qui interuenerint, in eisdẽ supplendi, eásque ab omnibus firmiter obseruari debere decernendi.

Ac in quibusuis Cathedralibus, etiã Metropolitanis, & Collegiatis Ecclesiis, Canonicatus & Præbendas, Dignitátes, Personatus, Administrationes, & Officia, necnon Monasteria

tam virorum, quàm mulierum, cuiuscunque Ordinis, & prorsus quæcunque alia beneficia Ecclesiastica, cum cura, & sine cura, sæcularia & regularia, & vt præfertur, qualificata, cum omnibus Iurisdictionibus, & insignibus consuetis, etiam cum eo, quòd in titulum perpetui simplicis beneficij Ecclesiastici erigi nunquam poßint, Hospitalia, Confraternitates, & alia Religiosa loca erigendi, & instituendi: ac bona pro eorum dote aßignandi, quæ competens sit, perpetuò applicandi, & appropriandi.

Necnon in huiusmodi erectis beneficiis duntaxat, iuspatronatus, & præsentandi Ordinario loci personas idoneas, ex fundatione, & dotatione duntaxat, reseruandi ac concedendi.

Ac quæcunque Statuta, & Ordinationes licita & honesta, ac sacris Canonibus, Cōciliique Tridentini decretis non contraria condendi.

Necnon quibusuis Cathedralium, etiam Metropolitanarum, & Collegiatarum Ecclesiarum Canonicis, aut Dignitates, Personatus, Administrationes, Officia, & alia beneficia Ecclesiastica in eis, non tamen curam animarum parrochianorum habentia, obtinentibus, infra trigesimum suæ ætatis annum constitutis, vt literarū studio, in loco vbi illud vigeat generale, insistēdo, & actu studendo, omnes fructus, redditus, & prouentus suorum Canonicatuum, & Præ-

bendarum, Dignitatum, Personatuum, Administrationum, Officiorum & beneficiorũ prædictorum, ad biennium tantùm percipere, cum ea integritate, quotidianis distributionibus dũtaxat exceptis, cum qua, illos perciperẽt, si præsentes interessent, ac ad residẽdum interim apud illas minimè teneantur. Ita tamen vt intra primum annum dicti biennij, ipsi saltem subdiaconatus Ordinem suscipiant, si ratione suorum beneficiorũ huiusmodi, ad aliquem, seu aliquos ex sacris Ordinibus promoueri tenentur; eisdémque vt Leges & alia Iura ciuilia, etiam in scholis publicis, vsque ad biennium huiusmodi audire, in illis versari & studere, ac ad gradus omnes eius facultatis promoueri liberè & licitè valeant, indulgendi.

Necnon vt virtute & meritis præstantes dignioris nominis titulo decorẽtur, viros aliquot, quos videris siue Nobilitate, siue gradu & doctrina, ac moribus laudabiles, clericos videlicet in Nostros ac dictæ Sedis Notarios, vel Accolytos, & Capellanos, vsque ad numerum duodecim in totũ, recepto prius ab eis solito iuramento, & saluis memorati sacri Concilij Tridentini decretis, circa exemptionem ab eodem Concilio sublatam.

Alios verò laicos, in Palatij & Aulæ Nostræ Lateranẽsis Comites, vel Auratæ Militiæ

Milites, similiter vsque ad numerũ duodecim, cum insignibus debitis & consuetis, factáque ab eis fidei professione, iuxta formam à Sede prædicta præscriptam, & citra facultatem dispẽsandi super defectu natalium ad successiones, Ordines, & beneficia.

Necnon publicos Tabelliones, recepto similiter ab eis solito iuramento, vsque ad numerum tibi bene visum, creandi, recipiendi, & instituẽdi, ac eos, aliorũ huiusmodi Notariorũ, vel Accolytorum, seu Capellanorum, necnon Comitum, vel Militum, ac Tabellionum numero, & consortio, fauorabiliter aggregandi; ipsísque, etiamsi Notarij habitum & rochetum non deferant, nihilominus vt omnibus, & quibuscunque priuilegiis, honoribus, prærogatiuis, fauoribus, gratiis, & indultis, aliis Notariis, etiã de numero participantium, necnõ Comitibus, & Militibus cõcessis, sine tamen præiudicio dictorum Notariorum de numero participantium, vti & frui possint, concedendi.

Necnon quibuscunque vtriusque sexus Ecclesiasticis ac sæcularibus, quos ad loca Ecclesiastico interdicto, & Apostolica auctoritate, supposita declinare contigerit, vt in eis, ianuis clausis, non pulsatis campanis, excommunicatis & interdictis prorsus exclusis, dummodo ipsi causam non dederint huiusmodi interdicto,

nec eis id contigerit ſpecialiter interdici, in ſua & domeſticorum, familiariúmque ſuorũ præſentia, celebrare, & celebrari facere licitè poſſint, facultatem tribuendi.

Poſtremò, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus verè penitentibus, & confeſſis, ac ſacra Communione refectis, qui quaſcũque ſæculares vel regulares Eccleſias, ſeu Capellas, in vna tantùm feſtiuitate, à primis veſperis, vſque ad occaſum ſolis eiuſdem feſtiuitatis, deuotè viſitauerint, & ibi, pro Chriſtianorum Principũ concordia, hæreſum extirpatione, ac ſanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino pro vna vice tantùm, concedendi, necnon eiſdem vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus qui verè penitentes & confeſſi, vel confitendi propoſitum habentes Eccleſias, ſeu Capellas prædictas, aliquo die feſto vel Dominico ſemel annuatim viſitauerint, & vt præfertur, orauerint, quo ex diebus prædictis id pro tẽpore fecerint, decem annos, & totidem, Quadragenas, de iniunctis eis ſeu quæ meritò iniungi debuiſſent, aut alias quomodolibet debitis penitentiis, in forma Eccleſiæ conſueta, relaxãdi. Ita tamen vt relaxatio huiuſmodi ſemel tãtùm pro vna Eccleſia, vel Capella annuatim fiat, &

per quinquennium ſolum debeat perdurare.

Necnon vota quæcunque vltramarina, viſitationis liminum Apoſtolorum de vrbe, ſancti Iacobi in Compoſtella, ac Caſtitatis & Religionis votis duntaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi.

Ac etiam omnibus & quibuſcunque perſonis Eccleſiaſticis, & Prælatis, vt de bonis & rebus Eccleſiaſticis, iuxta formam in Quinterno Cancellariæ Apoſtolicæ annotatam, & vſque ad ſummam inibi deſcriptam; teſtari & diſponere liberè & licitè valeant, facultatem cōcedendi.

Et vt conceßiones gratiæ & Literæ per Te, vigore præſentium, concedendæ, ſublatis obſtaculis ſuum ſortiantur effectum, quaſcūq; perſonas, ad effectū omniū & ſingulorū præmiſſorū duntaxat conſequendū, ab omnibus & quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis, à iure vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati fuerint, dummodo in eis per annum non inſorduerint, abſoluendi, & abſolutos fore cenſendi.

Vicéſque tuas in præmißis ſiue ſingulis committendi, Iudices, Aßiſtentes, Commiſſarios, & Executores, pro prædictorum, & Literarū

tuarum executione, & obseruatione, delegandi.

Mandata, prohibitiones, & monitoria, etiã sub censuris, & aliis pœnis prædictis, ceterísq; tibi beneuisis remediis, etiam appellatione postposita, decernendi: ac omnia & quæcunq; alia, in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, decernendi, & exequendi; etiam per alium seu alios, Apostolica auctoritate prædicta, tenore præsentium, plenã & liberam facultatem concedimus, & indulgemus.

Decernentes Te, omnibus facultatibus, & concessionibus prædictis, etiam cum derogationibus, suspensionibus, Indultis irritantibus, aliísque decretis, & clausulis necessariis, & opportunis, ac in Literis Apostolicis concedi & extendi solitis, in prædicto Regno commorãdo, ac etiam (excepta dicta facultate conferendi beneficia, & de bonis Ecclesiasticis testandi) redeundo, in quibuscunque partibus, Regnis, Prouinciis, Terris, Ciuitatibus, & locis huiusmodi, & cum personis illorum, ac etiam alienigenis vndecunque ad Te venientibus, necnon familiaribus tuis liberè & licitè vti posse, ac in concessionibus, prouisionibus, & aliis dispositionibus, etiam de beneficiis aliísque gratiis, per Te, auctoritate præsentium, tuæque Legationis

faciendis, soli narratiuæ tuæ, ac etiam solis cõcessionibus, & Literis tuis, absque alia præsentium insertione, seu exhibitione, aut Notarij, testiúmve adhibitione stari, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, sícque per quoscunque Iudices ordinarios, & delegatos, etiam causarũ Palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, in quauis causa & instãtia, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate & auctoritate, vbique iudicari & diffiniri debere, irritum quoque & inane, si secus super his à quoquam, quauis auctoritate, sciẽter vel ignoranter, attentari contigerit.

Non obstantibus defectibus, & aliis prædictis, necnon dictis Literis in die Cœnæ Domini legi consuetis, & aliis Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, præsertim quibus absoluendi facultas, in certis tunc expressis casibus, ita specialiter Romano Pontifici pro tempore existenti reseruatur, vt vel etiã si similes, vel dissimiles absoluendi, & dispensandi, ac rehabilitandi, & abolendi facultatum huiusmodi concessiones, nisi de illis expressa mentio aut specialis derogatio fiat, quicquam suffragari valeãt, & quorumcunque Conciliorũ etiam generalium, Prouincialium, & Synodalium, necnon piæ memoriæ Bonifacij Papæ VIII. etiam

etiam prædecessoris nostri, de vna, & Concilij generalis de duabus dietis, aliísque Apostolicis, ac in Prouincialibus & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Cõstitutionibus, & Ordinationibus, necnõ Cãcellariæ Apostolicæ regulis, nullis prorsus exceptis, & quæ sigillatim in quaque re exprimi & extendi possint, Statutis quoque, & Consuetudinibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Ordinum, etiam Cluniacensis, Cisterciensis, Præmonstratensis, Grandimontensis, Fontiseubrandi, & Congregationum, siue Institutorum, Capitulorum, Conuentuum, necnon Vniuersitatum, Collegiorum, Ciuitatum, & locorum quorumcunque iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, etiam si de illis seruandis, & non impetrandis Literis Apostolicis contra illa, & illis etiam, ab alio vel aliis impetratis, seu alias quomodolibet concessis nõ vtendo, illarum personæ præstiterint eatenus, vel in posterum forsan eædem præstabunt, præstare contigerit iuramentum, ac quibusuis Priuilegiis & Indultis Apostolicis generalibus & specialibus, illis, eorúmque Superioribus, Conuentibus, & personis quomodolibet concessis, ac alias omnibus, quæ in præmissis quouis modo obstare videantur, quæ quo ad hoc nullatenus cuiquã in aliquo suffragari volumus: hísq;

omnibus ac cæteris contrariis quibuſcunque, vbi & quando expediet, ſecundum rei & caſus exigentiam, in genere & in ſpecie, ac tam coniunctim quàm diuiſim, prout tibi placuerit, valeas derogare & ſuper eis indulgere: Quódque aliqui ſuper prouiſionibus, ſeu commendis ſibi faciendis de huiuſmodi, vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis, in illis partibus, ſpeciales vel generales dictæ Sedis, vel Legatorum eius Literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſeruationem, & decretum, vel aliàs quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus perſonas, in quarum fauorem per Te, de beneficiis prædictis prouidebitur, aut aliàs diſponetur, in eorum aſſecutione, volumus anteferri: ſed nullũ per hoc eis, quoad aſſecutionem beneficiorum aliorum, præiudicium generari: ſeu ſi locorum Ordinariis collatoribus, ac prædictis, & quibuſuis aliis, communiter vel diuiſim, ab eadem ſit Sede indultum, quòd ad receptionem, vel prouiſionem alicuius minimè teneatur, & ad id compelli, aut quòd interdici ſuſpendi, vel excommunicari nõ poſsint: Quódque de huiuſmodi vel aliis beneficiis Eccleſiaſticis, ad eorum collationem, prouiſionem, præſentationem, electionem, ſeu quãuis aliam diſpoſitionem, coniunctim vel ſeparatim ſpectantibus, nulli valeat prouideri, ſeu commenda fieri, per Literas Apoſtolicas non faciẽ-

tes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbũ, de indulto huiusmodi mentionem, & qualibet alia dictæ Sedis indulgentia generali, vel speciali, cuiuscunq; tenoris existat, per quam præsentibus, necnon Literis per Te, earundẽ vigore, concedendis, nõ expressam, vel omnino non insertam, effectus earum impediri valeat quomodolibet, vel differri; & de qua, cuiusque toto tenore habenda sit in eisdem Literis mentio specialis.

Volumus autem vt præsentium transumptis, etiam impressis, manu Regẽtis Cancellariæ tuæ, ac sigillo tuo obsignatis, eadem illa prorsus fides in iudicio, & extra illud, vbique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur, eisdem præsentibus, si essent exhibitæ vel obstensæ.

DATVM *Romæ apud sanctũ Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, millesimo, quingentesimo nonagesimo secundo; Decimoseptimo Kal. Maij, Pontificatus nostri Anno primo.*

Signat. *G. Bastonus Prodatarius.*
M. Vestrius Barbianus.
Super plicam. *A. de Alexiis.*
Et à tergo. *Registrata apud Marcellum Secretarium.* Firmata bulla plumbea sub cordula canapis.

Regiſtrées, ouy, & ce conſentant le Procureur general du Roy, pour en vſer par ledict ſieur Cardinal de Plaiſance, ſelon & ainſi qu'il eſt contenu en icelles, ſans preiudice toutesfois des auctorité & Iuriſdiction Royale & liberté de l'Egliſe Gallicane. A Paris, en Parlement le 27. iour d'Octobre, l'An 1592.

Signé,

DV-TILLET.

Extraict du priuilege.

PAR priuilege donné & octroyé, par Messieurs du Conseil general de la saincte Vnion des Catholiques, A Rolin Thierry Imprimeur, Il luy est permis d'imprimer tout ce qui peult concerner l'Estat public & affaires de France, & qui sera ordonné & procedera d'iceluy Conseil. Et sont faictes defences à tous autres Libraires & Imprimeurs, de les imprimer ou faire imprimer, ny exposer en vente, sur peine de confiscatiõ des exemplaires, & d'amende extraordinaire, ainsi que plus à plein est contenu par ledict Priuilege. Donné à Paris le 18. Auril, 1589.

Signé,

SENAVLT.



Le Present
Livre apartiend
A son Maistre qui
est
Gaillard